

Dissertatio inauguralis medica monstrans variolarum spuriarum ex verarum pure ortum ... / [August Ludwig Niedt].

Contributors

Niedt, August Ludwig.
Reil, Johann Christian, 1759-1813.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae : Typis Jo. Christian. Hendelii, [1792]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qjctf4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

3

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
MONSTRANS
VARIOLARVM SPVRIARVM
EX
VERARVM PVRE ORTVM.

QVAM
AVCTORITATE
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO
IOANN. CHRIST. REIL
MEDICINAE AC CHIR. DOCT. ET PROFESS.
THERAPIAE P.O. SCHOLAE CLINICAE DIRECTORIS
ET CIVITATIS HALENSIS PHYSICO,

PRO
GRADV DOCTORIS MEDICINAE
RITE OBTINENDO,
DIE XX. FEBR. MDCCXCII.
PVBLICE DEFENDET,
AVCTOR
AVGVSTVS LVDOVICVS NIEDT,
HAVELBERGA - PRIGNITIVS.

HALAE,
TYPIS IO. CHRISTIAN. HENDELII

3

DISSERTATIO IN FAVORE MEDICINAE

PHYSICAE

VARIAE

VERAE



AVT

PRATIcae

IN REGIA

UNIVERSITATE

CHRISTIANISSIMA

MDCCCLXXXIII

MDCCCLXXXIII

MDCCCLXXXIII

MDCCCLXXXIII

9

MDCCCLXXXIII

9

Ex quo tempore variolas, insitionis artificio mitiores reddere coeperunt medici, acriter inter eos disputatum fuisse; an utilis sit generi humano Inoculatio nec ne? nemo est qui nesciat. Steterunt ab utraque parte summi in arte medica nominis viri. Fautores insitionis ingentem numerum sanatorum producebant, vix e millenis unicum mortuum contententes. Praxin inoculatoriam adeo securam facilemque praedicabant nonnulli, ut maternae eam potius curae, quam medico demandandam existimarent. Adversarios habuit acerbos, qui inter alia argumenta, id potissimum urgebant, recidivam variolarum, earum insitione artificiali, non arceri, dum variolis veris naturalibus neminem bis affici putabant plurimi.

rimi 1). Negabant inoculationis patroni, et variolas insitione excitatas, aequae ac sponte ortas reversionem praecavere 2), statuebant. Exempla in contrarium ab inimicis producebantur litem non componentia; variolas enim spurias ab imperitis saepe pro veris haberi, immo his adeo nonnunquam similes esse, ut Medicum fallere queant, totum morbi decursum non observantem, opponebatur. Ita factum putabant inoculationis amici, ut medici in colligendo pro inferendis variolis pure minus curiosi, decepti sint aliis, hisque imperitis, hoc negotium demandantes: vel ut ipsi nimis solliciti, ne per insitionem puris a variolis confluentibus desumpti, pejoris notae variolae fierent, ideo non nisi mitissimas quaesiverint,

1) VAN SWIETEN comment. in BOERHAAV. aphoris. T. V.

ROSENSTEIN Kenntniß und Cur der Kinderkrankheiten. 5te Aufl. von Murray 1785. S. 207.

TISSOT Anleitung etc. Hamb. 1767. §. 202.

STOLL. Aphorism. de cogn. et cur. morb.

2) WERLHOFF disquisit. de variol. et anthrac. Opp. ed. WICHMANN Hannov. 1775. T. II. p. 488.

verint, quarum pure et morbum et ejus benignitatem propagarent, in errorem inducti sint eo facilius excusandum, quia spurias variolas a veris saepe non nisi observato celeriori decursu dignoscendas esse, notum sit; loco puris e veris variolis humorem e spuriis desumptum collegerint, et ita nothas pro veris infectione propagaverint. Hanc sententiam strenuus inoculationis defensor Bajlies 3) propugnavit, unanimi fere omnium ejus fautorum assensu, atque sive a veris, sive spuriis variolis desumptum pus sit, eadem fere symptomata ejus infectionem sequi docuit.

Pus a veris naturalibus variolis desumptum infectione artificiali variolas spurias producere posse, inter nostrates medicos, quantum ego sciam, nemo observaverat antequam Bondii libellus 4), gallico sermone scriptus versione Germanica innotesceret. Hic, quamvis variolarum artificialium defensor, non so-

A 2

lum

3) Nachricht über die Pocken - Inoculation zu Berlin. Dresden 1776. p. 95. sequ.

4) Vertheidigung der Einpflanzung der Pocken: aus dem Französischen, von FROEPPER. Nürnberg und Altdorf 1787.

lum ipse vidit plus vice simplici, ortas vario-
 las nothas post insitionem puris e veris vario-
 lis collecti, sed modum etiam explicare stu-
 duit, quo fiat ut per nimium calorem putre-
 dimemve mutetur pus variolosum, sive in api-
 ce lancellae servatum sit, sive mediante filo,
 adeo ut veris variolis producendis amplius non
 idoneum sit.

Eodem fere tempore quo laudatus hic
 Bondii libellus inter nostrates promulgabatur
 casum Bondianis similem observavit Medicum
 in urbe mihi patria, quem tunc temporis sal-
 tem pro rarissimo habitum mecum commu-
 nicavit, qua est erga me humanitate, ut pro-
 themate inaugurali mihi inserviret. Eo lubentius
 ejus obtemperavi consilio, animadvertens
 diariis ipsius, observationem quamvis similem
 Bondianis, attamen nonnulla continere disti-
 ctius visa, et tam in praticos usus quam theo-
 reticas speculationes convertenda. Saltem
 pro re non exigui momenti conducet plura
 habere testes.

HISTORIA MORBI.

Grassabantur tempore verno anni 1787. in Prignitia passim variolae, benignae in his, malignae in aliis locis. Aliquam sibi famam a decem retro annis variolarum insitione, eorsque semper felice, paraverat Medicus vocatus, ut tres l. B. d. P. infantes artificiali insitione periculo naturalium eriperet. Distat ab urbe Havelberg quatuor fere miliaria germanica arx W... Sedes D. d. P. et quamvis in pagis quibusdam propinquis variolae jam per aliquot menses cladem haud exiguam fecissent, ipse tamen hic locus, paucas modo habitationes continens ab omni infectione adhuc liber erat.

Infantes infectioni destinati, erant puer quatuor fere annorum, biennis filia, puerque sex menses natus, rusticae robustae parum sensibilis ubera sana sugens. Uterque puer ab omni dispositione morbosa liber videbatur, filiola non aequae, sed et hanc, post pleniorum evacuantium usum insitioni idoneam putans medicus, die 16. Maji anni 1787.

puris 'colligendi' gratia Perlebergam sese contulit, ubi frequentissimae erant tum temporis variolae, disfitam vix ultra milliare majus ab arce W. . .

In pennae anserinae calamo guttulam puris maturitati proximi, a puero variolis benignis cohaerentibus laborante sumsit, hunc calamum in alia penna anserina truncata ita condens, ut ab omni cum aëre commercio servaretur, qua methodo saepissime usus, pus variolosum infusioni ultra mensem idoneum manere expertum habebat.

Paucis post collectionem puris horis adit infantes, pueroque quadrienni hora post meridiem quinta variolas dedit, diluto mediante guttula aquae calidae pure, penicillique minoris ope illito, apice acus secundum Gattii et Wagleri methodum loco inter pollicem et indicem medio in utraque manu operationem instituens vulnusculum emplastro anglico post 12 horas abluendo tegens.

Tempore vespertino inter septimam et octavam medio, infantes natu minores eadem exactissi-

actissima' methodo eodem pure ex eodem calamo inficiebantur. Iterum vero dilutum est pus aqua calida, quippe quod intra horam quadrantem justo spissius fieri solet.

Die 22. Maji nunciabatur medico in omnibus infantibus puncturae locos paullulum elevatos rubore tinctos esse. Die 25. puer natu major febricitare coepit. Circa puncturae locum in utraque manu mox erumpebant variolae, sequebatur die 28. eruptio universalis, totusque morbi decursus talis erat, qualem et parentes et medicus optabant, variolae enim discretas stadia sua absolvebant ordine consueto.

E contra vix ac ne vix quidem licebat dignoscere insertionis puncta in manibus juniorum, inflammata quidem videbantur arcu semipollicis diametri, quam dolere querebatur puella, filiulus fricare conabatur, sed nulla in centro elevatio, quae pulicis morsui similis, alias saltem tactui occurrit nisi visui sentienda erat. Multo minus variola orta est.

Primo Junii laetus parens nunciabat, et filium natu minimum, quamvis nulla ante eruptio-

ptionem febre laboraverit, exanthemata vario-
lofa pati. Visitabat tertio Iunii medicus ae-
grotantes, invenitque in natu majore puero
variolas legitime suppurantes exsiccationi pro-
pinquas. Pusionem vidit tam in facie quam cor-
pore reliquo habere pustulas inaequalis magni-
tudinis, a grani milii extensione ad pollicis fere
dimidii diametrum, planas, aqueo humore ple-
nas in ambitu parum vel omnino non inflam-
matas. Prodierunt sine ordine prius in corpo-
ris trunco quam in facie. Infertionis loci ambi-
tus adhuc leviter inflammatus apparebat, sed
nullae ibi variolae, quare haec exanthemata
pro veris variolis se non habere, edixit pa-
rentibus.

Paulo post et filiam variolis laborare
nunciabatur, eodem quo filiulus modo, neque
hanc aegrotasse ante eruptionem.

Die decimo Iunii utrumque infantem
gravissime febricitare purpuramque in facie
erumpere scriptum est. Quam celerrime adiit
aegrotantes medicus. Pustulas a priore eru-
ptione natas videbat nunc maximam partem
exsiccatas, eschara tenui tectas, sub qua pas-
sim

sim humor adhuc aquosus pellucebat. In facie praesertim filioli reliquiae majoris pustulae supererant, eschara nempe denarium ambitu non exacte rotundo aequans, squamosa, crassitie lineae dimidiae, cicatricem planam relinquens. Hujusmodi escharas et reliquum corpus utriusque infantis, truncus praesertim monstrabat. In artubus minores aderant, inaequales, in manibus nullae.

Infectionis loca, quae hucusque aliquatenus inflammata visa fuerant, nunc ad statum plane naturalem redierant, nec puncturarum ullum supererat vestigium. Exanthemata, quae pro purpura sumserant parentes, veras esse variolas, et quidem cohaerentes facile erat cognoscere. Sequebatur in toto reliquo corpore larga earum eruptio, sed quod maxime notandum, in manibus paucae videbantur. Non sine aliquo artis auxilio evaserunt incolumes, cicatricesque ab utroque morbo superstites monstrant exactissime distinguendas. Sunt enim quae a variolis veris supersunt, foveae rotundae; a priore exanthemate reliquae, haud excavatae marginem escharae quasi solum cuti impressum monstrantes.

Eodem die, quo natu minores infantes bini variolis veris correpti sunt, et quinquennis filia villici, quae puerum natu maximum quotidie visitaverat, dum variolas inoculatas passus est, eodem morbo laborare coepit, discretis optimae notae variolis.

Haec historia morbi variolosi exactissime existentiam spuriarum variolarum, contagio vero, hoc vel illo modo corrupto, productarum, probare mihi videtur. Si autem eadem aliquid confirmare debet, primo sequentia evincenda sunt.

- 1) *Exanthemata in natu minoribus infantibus insitionem proxime secuta, re vera spurias fuisse variolas.*
- 2) *Insitionis sequelam.*
- 3) *Alterum exanthema veras fuisse variolas ab infectione naturali ortas.*

Quodque sequentibus his paragraphis explicare conabor.

§. I.

- 1) Exanthemata in natu minoribus binis infantibus insitionem variolarum proxime secuta,

fecuta, variolas fuisse spurias quas vulgo *Wasserpocken* vocant, vix puto in dubium vocari posse. Unanimi enim auctorum consensu 5) hoc nomine ab omni alia eruptionum cutanearum specie distinguuntur exanthemata sine notabili febre, sine ordine aliquo intra paucos dies erumpentia, pustulas inaequalis magnitudinis formantia, quae eadem qua prodeunt velocitate, aqueo humore replentur, brevi in squamas se siccante.

Huic descriptioni illud exanthema plane respondet, ut ex historia morbi videri potest.

Est autem res maximi momenti has variolas spurias ab omnibus aliis exanthematibus infantilibus rite distinguere, praecipue in inocu-

5) ROSENSTEIN l. c.

C. L. HOFFMANN Abhandlung von den Pocken. 1ste Aufl. Münster und Hamburg 1770. §. 206.

C. G. SELLE rudimenta pyretologiae edit. 3tia. Berolin. 1789. S. 160.

A. C. G. IVNKER pathologia medicinal. Hal. 1789.

inoculatione, ubi mala diagnosi, non solum
famae medici, sed etiam aegris atque inocu-
lationi ipsi valde obesse potest. Quae autem
diagnosıs vera saepe ardua atque interdum
primo intuitu impossibilis est. Experientia
etiam docuit, multos expertos praticos in
diagnosi errasse.

Qua de causa mihi non superfluum vide-
tur, hoc in loco aliquid de signis pathognomi-
cis variolarum spuriarum dicere, atque diffe-
rentias ab omnibus aliis exanthematibus pue-
rilibus, praesertim a variolis veris monstrare.

Saepissime atque facillime variolae spu-
riae pro veris habentur, quo reiteratarum va-
riolarum adducta venerunt exempla. His bi-
nis morbis tanta interdum est similitudo ut
primo intuitu impossibile sit, inter eos distin-
guere, quod praecipue in stadio eruptionis
accidit. Accuratori autem contemplatione
nonnulla obveniunt, quae pro signis patho-
gnomicis haberi possunt, quamvis ex uno tali
simplici signo nunquam dijudicandum sit. Ad
sequentia igitur mihi respiciendum videtur:

1) *Ad prodromos morbi.* Variolae legitimae nunquam sine febre 6) antecedente erumpunt, plerumque multa adfunt symptomata nervosa, quae fere nunquam in spuriiis observantur. Hi autem prodromi non semper tam luculenter adfunt, ut certa ex illis formari possit prognosis.

2) *Ad exanthema ipsum.* Pustulae verarum variolarum, in eo ab spuriiis differunt, quod ordine quodam sensim sensimque sub supra dictis symptomatibus erumpentes, certa observent stadia, in quibus figuram rotundam magnitudinis fere aequalis formantes, supra cutem elevantur, inflammantur, bonoque pure flavescente implentur, demumque in crustam abeuntes decidunt, vestigiaque relinquunt. Spuriae contra variolae, ut supra jam dixi, velociter ac inordinate, sine notabili febre erumpunt, non pure, sed solummodo humore aqueo implentur, magnitudine sunt inaequales, ac cito in squamas degene-

6) G. F. HILDEBRANDT Bemerkungen und Beobachtungen über die Pocken, in der Epidemie des Jahrs 1787. Braunsch. 1788. §. 14

generantes decidunt, ita ut totus morbus non supra octavum diem perduret, ut celb. ROSENSTEIN 7) contendit.

- 3) *Ad odorem specificum*, quo variolae spuriae plane destitutae sunt.

Optimam atque accuratissimam descriptionem variolarum spuriarum nobis W. HERBEN 8) dedit, qui sequentia pro optimis signis diagnosticis habet.

- 1) Vesiculam illam humore aqueo impletam, quae die secundo vel tertio ab eruptione in medio variolarum oritur.
- 2) Crustam vel escharam, quae die quinto, tempore quo variolae verae nondum ad summum gradum suppurationis venerunt, variolas tegit.

Alterum Exanthema quocum similitudinem habere possunt variolae spuriae, sunt morbilli ac rubeolae. In stadio eruptionis, etiam

7) l. a. pag. 145.

8) *Arztneykundige Abhandlungen von dem Collegio der Aerzte in London, übersetzt von KRAUSE. Leipzig 1768. gr. 8. S. 333.*

etiam hic, ut in omnibus reliquis febribus exanthematicis, prognosis est dubia, ac interdum, ubi pustulae jam eruperunt, diagnosis est ardua. Secundum sententiam LIEVTAUDI 9) differentia in stadio eruptionis in eo consistit, quod pustulae morbillosae corymbiatae, ac magis conglobatae sint, quam variolae maxime confluentes; porro in eo, quod morbilli primo in facie ac fronte erumpant, ac magis per suum colorem rubrum, quam elevationem, sensibus percipiuntur 10). Ipsae pustulae etiam inter se differunt, pustulae enim morbillosae minores inveniuntur, nunquam pure implentur, sed potius exsiccatae in squamas decidunt, atque per symptomata concomitantia catharralia suam produnt naturam morbillosam.

Facilius ab reliquis exanthematicis febribus, ab scarlatina nempe, urticata etc. distinguuntur, sic etiam ab exanthematibus chronicis, atque ob angustiam chartae non conduceret fusius de hac materia hic loqui; id unicum autem addere mihi adhuc liceat, nempe

9) Praec. de Med. I. 2. Sect. IV. S. 603.

10) I. B. BURSERIUS de Kanilfeld. de morbis exanthematicis febrilibus. Cap. 8. de morbillis.

in diagnosi exanthematum semper ad Epidemiam respiciendum esse, praesertim in illis, quae notum est plerumque epidemice grassari.

§. 2.

Similitudo illius exanthematis, quod in infantibus insitionem proxime secutum est, cum illo, quod scriptores variolas spurias denominant, nos dubitare non sinit, revera fuisse variolas spurias, sed hoc non sufficit ad meum scopum. Ego enim etiam contendo, *has variolas spurias per insitionem productas esse*, id quod mihi sequentibus ex rationibus monstrandum videtur:

a) Aequalis in utroque infante eventus. Ambobus infantibus uno eodemque modo, una eademque materia insita est, inque ambobus, aequalis fuit effectus. Aequalia autem phaenomena non nisi ab aequalibus causis produci possunt. Sine omni ratione vero hae variolae spuriae oriri non potuerunt; at cum nulla alia earum causa accusari possit, necessario ab inoculatione productae sunt.

b) Mu-

b) Mutatio in infectionis locis secuta, quae primis diebus spem faciebat legitimas variolas erupturas. Inoculationem non plane fuisse frustraneam, videre est ex illa mutatione, quae in locis infectis infantum oriebatur; hi enim loci tumore suo, coloreque rubro levem probebant inflammationem, quae sine dubio sequela irritamenti cujusdam his locis applicati fuit. Quale autem aliud irritamentum, quam materies variolosa, hoc efficere potuisset?

Satis superque haec duo argumenta mihi variolarum harum spuriarum existentiam, ut sequelam inoculationis praegressae monstrare videntur. Cum autem in inoculatione variolarum et medici et parentum interest, prognosin certam eventus habere, atque haec defumi potest a mutationibus, quae in locis oriuntur infectis, ad meum scopum pertinet, signa prognostica hic stabilire.

In inoculatione variolarum instituta eventus triplex esse potest; oriuntur nempe aut *verae*, aut *spuriae*, aut *nullae* variolae: in

omnibus his casibus signa prognostica pro vario eventu varia sunt.

I) Si materies atque methodus instituendi justae fuerunt, neque praedispositione naturali caruit subjectum, tunc certe etiam verae oriuntur variolae: quo in casu decursus symptomatum topicorum, id est signorum mutationis in locis infectis, plane decursui symptomatum morbi subsequenter veri variolosi respondet. Die nempe tertio vel quarto post operationem in locis infectis inflammatio oritur circumscripta II). Haec inflammatio in dies magis magisque adaucta supra cutem elevatur, cujus in medio, die quinto vel sexto, una vel plures rotundae formantur pustulae, quae ad tactum durae circulo circumdantur rubro. Hae pustulae sensim sensimque humore quodam implentur, qui in verum flavescens pus transit, ac tali modo perfectas variolas constituit. Hae variolae genitricae, nullo alio modo ab subsequenter vario-

II) BVSSER. v. Kanilfeld. l. c. §. 294.

variolis universalibus differunt, quam quod hae ab topico effectu veneni insiti dependent, cum contra ad illas producendas irritatio universalis systematis nervosi requiratur: quodque symptomata eruptionem antecedentia monstrant. Haec symptomata topica sequuntur universalialia, tumor nempe glandularum subaxillarium inguinaliumque, symptomata nervosa die nono febris, atque eruptio universalis. Longe autem aliter fit in casu.

- 2) In quo quidem inflammatio oritur circumscripta, sed primo inflammatio non est tam vehemens, porro etiam in medio pustula formatur, sed figurae irregularis, humore aequo nunquam in verum pus abeunte, impleta, die secundo vel tertio se dirumpens atque escharam formens. Glandulae subaxillares non tumescunt, nullaque signa irritationis universi systematis nervosi adsunt. Haec phaenomena citius oriuntur, citiusque sanantur, signaque sunt certa vel spuriarum vel nullarum variolarum.

- 3) In casu tertio aut levissima inflammatio, aut nullae oriuntur mutationes, nullaeque expectandae sunt variolae.

§. 3.

In antecedentibus paragraphis probavi morbum, insitionem in binis infantibus proxime secutum, falsas ab inoculatione ortas fuisse variolas, ac nunc porro contendo: *morbum secundum, variolas fuisse veras, per contagium naturale a fratre natu majore susceptum ortas*, et quidem sequentibus ex rationibus.

- a) Quia non ab infectione artificiali ortae sunt: nam mutatio in infectis punctis, quae solet, quamque jam supra exposui, orta non est. Historia enim morbi docet, locos infectos illo tempore, quo hic secundus morbus variolosus ortus est, plane fuisse invisibiles. In antecedente autem paragrapho signa monstravi ex quibus infectio dignosci potest, iisque deficientibus insitionem frustraneam fuisse, concludi debet. Quare igitur, omnibus his signis illo tempore etiam in hoc casu
defi-

deficientibus, certissime concludere possumus, has variolas veras non ab inoculatione dependisse. Porro

b) tempus infectionis quaesito exacte respondet; tertio enim Iunii variolae in puero natus majore maturae erant, quo tempore eas infectionem maxime spargere notum est. Decimo febricitare coeperant minores, intra sex autem dies, susceptum contagium evolvi, per mille infectionis historias notum est.

c) Ab omni contagio varioloso liberum fuisse arcem W. . . historia docet, attamen villici filia eodem die contagium suscepit.

Et experientia docuit, et omnes medici in eo conveniunt, variolas non nisi a contagio quodam specifico oriri posse ¹²⁾. Hoc

B 3

autem

12) G. F. HILDEBRANDT Bemerkungen über die Pocken in der Epidemie des Jahrs 1787. Braunschweig 1788. §. 9.

C. G. SELLE rudimenta pyretologiae, edit. 3tia. Berol. 1789.

autem contagium solummodo, aut per inoculationem, aut per infectionem naturalem in corpus infectum venit. In utroque casu necessario in illa atmosphaera in qua subjectum infectum vivit, contagium adfuisse debuit. Cum autem hae variolae verae, non ab inoculatione productae sunt, ut jam supra probavi, neque aliud contagium in arce W... adfuit, quam id quod puer natu major sparsit, nihil aliud restat, quam ut dicamus infantes natu minores, a fratre natu majore infectos fuisse. Contagium autem illud ea etiam fuisse volentia ut inficere potuerit, infectio filiae villici probat.

§. 4.

Probandis igitur probatis, inquirendum mihi etiam videtur in causas, cur ex eodem calamo desumpta materia priori puero veras, reliquis spurias dederit variolas. Iterata dilutio non potest pro causa assumi, nam minimam

C. L. HOFFMANN Abhandlungen von den Pocken. 1ster Theil. Münster und Hamburg 1770.

DIMSDALE, de Haen. BOERHAVE etc.

miam quantitatem sufficere notum est, neque deficiens dispositio in subjectis accusari potest, post paucos dies naturales passis; quare alia res rationem hnjus diversi effectus continere debet.

Ad hanc igitur rationem inveniendam, methodus inoculationis institutae respicienda mihi videtur. Materies inoculatoria eodomi die ex variolis confluentibus, tempore maturationi proximo, desumpta erat, itaque calamo recepta ab aëre arcebatur, ut nulla cum eo communicatio exsistere potuerit. Hora secunda post meridiem in infante natu majore operatio secundum methodum Gattii et Wagleri per puncturam acus instituebatur. Sed hunc in finem necesse erat, materiam jam exsiccatam, cum guttula aquae fervidae diluere. In duobus reliquis infantibus operatio vespertino tempore inter horam septimam et octavam instituta est, quo tempore pus propter inspissationem, iterum aqua fervida diluebatur. Cum autem materia eadem esset, neque causa in ipsis subjectis jaceret, vel in methodo instituendi vitiosa, necessario materia illo tempore intermedio mutata est.

Secun-

Secundum celebr. Bondium autem, vel per putredinem, vel per communicationem cum aëre, vel per calorem materies immutari potest. Hoc in casu ob breve temporis spatium neque per putredinem, neque ob sublatum cum aëre commercium, per aërem fieri potuit: quare nihil aliud, quam nimius calor aquae accusari potest. Sine dubio enim partes essentialis materiae variolosae naturam habent volatilem, ideoque verosimiliter per commixtionem cum aqua nimis fervida in aërem dissipatae sunt.

§. 5.

Casus similes jam olim observarunt medici. Bondius nempe narrat plures in libello jam supra laudato casus, ubi eadem materia, verae ac spuriae productae sunt variolae; verae nempe materia adhuc recenti, spuriae autem materia hoc vel illo modo corrupta. Ita aliquando 13), ubi operatione jam instituta, materiam jam *putridam* fuisse animadvertibat, metu maximo perculsus est, quoniam sibi persuasum habebat, materiam putridam variolam malignam producturam esse: even-

13) l. c. pag. 69.

eventus eum autem docuit, materiam hanc putrefactam nec malignas, nec veras, sed potius spurias produxisse variolas. Aliud exemplum narrat 14), cum materia inoculatoria per *calorem* destructa erat. Octo nempe adolescentes nobiles insitionem recipiendi causa Philadelphiam venerunt. Materia hoc in loco cum ad manus non esset, ex alio loco duodecim milliaria anglica distante allata est, ante vero, ne putrida fieret, bene exsiccabatur. Quinque autem horum adolescentum spuriiis corripiebantur, atque in reliquis operatio fuit frustranea, qui, cum iis postea materia recens infereretur, veris laborarunt variolis.

Exemplis his allegatis Bondius monstare voluit, materiam verarum variolarum destructam veras non producere variolas. Sed antequam medicis hoc notum esset, saepius accidit, ut post inoculationem, quae verosimiliter spurias produxerat variolas, subjecta altera vice ab variolis arriperentur. Hoc cum celeberrimis ac experientissimis medicis accidisset, fama tales casus mox sparsit, ex quo

14) l. c. pag. 70.

quo factum est, ut multos inoculatio haberet inimicos, qui contenderent, eam a recidiva non tutari.

Plurima ejusmodi exempla reiteratarum variolarum post inoculationem, Berolini visa sunt, quare etiam fere omnes practici Berolineses inoculationis antagonistas sese praestabant, inter quos praecipue celeberr. fuit Muzelius. Strenuus autem inoculationis defensor W. Baglies omnia illa exempla, quae tunc temporis Berolini narrabantur, exactissime exposuit. Praecipuum exemplum ex quo tunc temporis argumenta contra securitatem inoculationis sumebantur, est illud, quod celeberr. Meckelio, patri celeberr. nostri praeceptoris ad cineres usque colendi visum erat. Ille nempe vir illustris ac medicus experientissimus Potsdampii ambabus filiabus Majoris de Goetzen variolas inoculaverat, ambaeque post operationem exanthemate quodam laboraverant, quod summus ille medicus, pro veris habebat variolis. Post nonnullos autem menses variolae epidemice grassabantur in dicta urbe, ac sorores harum puellarum ab epidemia corripiebantur. Hae autem puellae ob
inocu-

inoculationem se tutas putantes, a commercio aegrarum non abstinuerunt, ac inopinato infectae sunt. Omnes medici, qui eo tempore infantes dictas visitabant, morbum praesentem pro veris agnoscebant variolis. Baglies bene monstravit illud exanthema quod ab inoculatione productum erat, variolas fuisse spurias, ac verosimiliter hoc vel illo modo materies suam perdidit efficaciam, ita ut modo spurias produceret variolas. Plures alios casus Baglies narrat, qui tunc temporis Berolini inoculationi obfuerunt, perbene autem demonstravit omnes illas historias reiteratarum verarum variolarum fuisse falsas.

§. 6.

Credo nunc per expositionem historiae hujus morbi, adductaque exempla satis superque probavisse, variolas spurias per insitionem puris ex veris naturalibus variolis desumpti, produci posse, ejusque exposui causas. Licetum igitur mihi sit, nonnulla ex ea deducere corollaria et theoretica et practica; talia enim exempla mihi theoriam naturae veneni variolosi, majori luce perfundere videntur.

Primo

Primo igitur ex eo sequi videtur, *materia contagii eandem in spurvis, ac in veris esse, his vero volatile aliquid nervos afficiens adjungi.* Si ita non esset, nullo modo explicari posset, quomodo variolae spurviae ex verarum pure ortae fuerint, nullum enim ex experientia adduci potest exemplum, ubi ex una materia contagiosa alterum contagium factum sit, sed immutabilis lex est naturae, ut quodque contagium in corpus humanum susceptum, solummodo vim habeat assimilatricem, ita ut ab materia morbillosa morbilli, a variolosa solummodo producantur variolae. Sin autem contagium spurviarum a verarum materiae plane non differret, fieri etiam posset, ut ex illarum materia, haec producerentur cujus rei autem nullum experientia constat exemplum. In omnibus adductis observationibus variolarum spurviarum, verarum materia insitarum, illam observamus materiam semper aliquam perpetuam fuisse mutationem, qua verosimiliter nonnullae ejus perditae sunt partes essentiales. Exinde igitur concludere possumus, materiae verarum variolarum aliquid admixtum esse, quo spurviarum materia caret: quod etiam peculiari verarum odore manifestum

festum est, qui in spuris nunquam observatur, cujusque ab vehementia majus vel minus infectionis periculum dependet. Secundum hanc theoriam facillime etiam explicari potest, cur, ut observatum est, frequenter variolae spuriae, epidemiam verarum antecendant. Si enim in regione aliqua verae grassantur variolae, tunc miasma per commercium quo aliae regiones propinquae cum infecta junguntur, in illas transvehitur, in via autem per varias causas, partes volatiles dissipantur, atque miasma ita debilitatur, ut nil nisi spurias producere possit variolas. Hanc materiam volatilem habere naturam, omnes illae historiae monstrant, ubi mutata materia spurias produxit variolas; causae enim mutationis semper tales fuerunt, ut solummodo partes volatiles dissipari potuerint. Haec partes propter suam volatilitatem nervos afficiunt, quod et symptomata monstrant eruptionem praecedentia, cum subsequente morbo saepe nullam proportionem habentia, dum post diras affectiones spasmodicas, ut plurimum discretas paucasque variolae observantur 15).

5. 7.

15) HILDEBRANDT a. a. O. §. 74.

ROSENSTEIN S. 158. SYDENHAM, CVELLEN etc. C

Haec vero *peculiaris nervorum affectio* in legitimis variolis, causam mihi continere videtur, cur veras variolas bis hominem passum esse, vix ullus certo hucusque viderit. (Quae enim ab amicis insitionis prolata sunt exempla reiteratarum variolarum naturalium, suspecta omnino sunt, quod visa dicuntur ab iis, qui in favorem insitionis optabant eas animadvertere.) Contagium enim variolosum, ut aliud quodvis venenum contemplandum mihi videtur, atque plurimis venenis eo simile est, quod nervos praecipua invadit. Plurima autem venena propter vehementem irritationem systematis nervosi corpori fiunt noxia; sed millenis experientiae certae exemplis, probari potest, nervos huic irritationi adsuescere posse. Dantur enim homines, in quos efficacissima medicamenta propter consuetudinem nullum faciunt effectum, atque quotidie medici vident, ob longum et consuetum usum medicamina suam efficaciam perdidisse, immo nonnulli casus observati sunt, ubi homines naturam suam efficacissimis venenis assuefecerant, ita ut arsenicum exempli gratia

in

in fatis magna dosi sine ullo damno sumserint. His in casibus systema nervosum ita mutatum est, ut receptivitatem talis stimuli perdidit. Haec ratio quoque veneni variolosi esse videtur. Ad hoc autem melius demonstrandum, modum, quo venenum in corpus humanum agere solet, explicare conabor. Mihi nempe persuasum est, hoc venenum primo locales facere effectus, qui pro vario modo receptionis varii sunt. In infectione scilicet naturali, ut plurimum primo oriuntur anxietates, vomitionis atque vomitus ipsi, quia in hoc casu per inspirationem ac deglutitionem infectio fit. In inoculatione autem, ubi infectio extrinsecus fit, semper prima signa infectionis, signa sunt externa, et quidem in ipso loco infecto, inflammatio nempe in locis insitionis. Post nonnullos autem dies verosimiliter venenum per vasa resorbentia massae humorum admiscetur, glandulae enim tumescunt, atque universalia oriuntur symptomata nervosa, quae nos certiores faciunt, nunc totum systema nervosum pati. Per hanc universalis systematis nervosi affectionem, etiam totum systema nervosum ita huic veneno assuefit, ut in posterum ab illo non amplius irritetur. Iterata

enim infectio locales quidem producere potest variolas, quales saepius in matribus infantes variolosas lactantibus observantur; sed systema nervosum altera vice non afficitur. In hac autem peculiari nervorum irritatione, dispositio naturalis ad variolas consistit, ideoque dicere possumus, veras variolas dispositionem ad hunc morbum iterum suscipiendum tollere, ac sublata ad morbum dispositione, morbum oriri non posse. Cum igitur haec peculiaris nervorum affectio dispositionem naturalem ad hunc morbum tollit, sequitur, hoc causam esse, cur verae variolae bis hominem non vexent.

§. 8.

Cum igitur materia contagii spuriam, a materia verarum non nisi partibus volatilibus differat, atque hae partes volatiles, peculiari sua nervorum affectione, nervos ita mutant, ut in posterum ab earum stimulo mutari nequeant, quaeritur, an in *aliis morbis infantilibus, quos una tantum vice humano generi insidiari ferunt*, e. g. in scarlatina, morbillis, tussi ferina (coqueluche) *similis fiat in nervis mutatio? An inter rubeolas et morbillos eadem,*

eadem, quae inter variolas spurias et veras cognatio? Quod ad primum attinet, videtur mihi, si ab analogia concludere licet, res ita esse. Omnes enim hi morbi contagium quoddam specificum requirunt, causa ergo eorum occasionalis est similis; atque ex similibus causis, similes oriri solent effectus. Experientia hoc autem nondum satis dilucidavit, neque experimenta bene ac rite institui potuerunt, quare ista rei declaratio solummodo a tempore expectanda videtur. Sic etiam dijudicare non possum, (quamvis id verosimile mihi videatur) an inter rubeolas ac morbillos eadem, quae inter veras et spurias variolas cognatio?

§. 9.

Utilitas quae in praxin ex talibus observationibus redundat, non minoris est momenti, quam utilitas theoretica. Adducta enim exempla in diagnosi et prognosi cautum faciunt medicum, quia at supra ostendi, res ardua est, omnibus in casibus inter exanthemata rite facere distinctionem, ac praecipue inter veras ac spurias variolas. Maxima igitur cum attentione considerandi sunt insitionis loci,

loci, ac si medicus pustulam variolosam in puncturae loco non videt, quamvis ambitus inflammatus sit, famae suae consulat, enuncians, irritam fuisse insitionem, ac prognosi dubia se muniens. Aegrotos autem haud invisitados relinquat, dum indolem exanthematum subsequens examinanti certam liceat diagnosin consequi. Infantes autem, quibus variolae spuriae per insitionem productae sunt, statim ab aliis variolosis removendos esse, ut contagium caveatur, sponte putet, et quanto-cyus de novo inferendum pus, cujus degenerationem per calorem nimium putredinemve cavere, magni interest.

§. 10.

Strenui autem defensores atque fautores inoculationis, non satis caute atque attente operationem hanc generi humano tam benignam instituerunt, eamque adeo facilem descripserunt, ut unicuique, sive sit in arte medica versatus necne, secundum eos licitum sit illam instituire, quo factum est, ut multa inoculationi imputarentur, quae solummodo a mala instituendi methodo dependerunt.

Omnes autem historiae, quas allegavi, monstrant non adeo levis momenti insitionem esse, dum celeberrimi ac experientissimi in eadem peccaverint medici: quare omnino limitandum est privilegium inoculandi. Prudenter autem, ac circumspecte administratam insitionem non premunt inde natae objectiones, cum nullum hucusque adduci possit exemplum, inoculationem ipsam aliquid detrimenti fecisse, sed causa mali inoculationis cujusdam eventus, semper in alia quadam re latuit. Exinde etiam accidit, ut inoculationi imputaretur, eam a recidiva non tutari, quia non observatum est, interdum veras inoculationem subsequutas fuisse variolas; sed in omnibus illis casibus non verae, ut supra jam dixi, ac mea historia morbi monstravit, sed potius spuriae productae fuerant variolae.

Sed non magni momenti res est spuris laborasse variolis, securum se autem a malo vero putare, et inopinato in illud cadere, periculi plenum est, multisque fuit causa mortis, ut illud exemplum Comitissae de Boufflers, quod celeberrimo Gattio visum est, probat; multaque alia exempla adduci possunt, ubi
mala

mala methodus infectionem instituendi, aut alia causa accidentalis, subjectis inoculatis nocuit, quae autem omnia ab inoculationis inimicis operationi ipsi imputata fuere, sed immerito. Qua propter a medico prudente inoculatos, eadem securitate gaudere licet affirmare, qua naturales variolas passos, si veras variolas infectionem secutas, aut veram saltem febrem variolarum observatum sit. Secus est in iis, qui ab imperitis sibi variolas fieri curarunt.

Sed liceat repetere; quid refert variolas tolerasse spurias? et quid obesse infectioni potest, quae dum utilis non fuit, certe per variolas spurias non nocuit?
